GERMANIA DEPLORATA

Georg Philipp Harsdörffer

Digitized by Google

GERMANIA
DEPLORATA.

GERMANIA DEPLORATA,

SIVE

RELATIO,

QUA

PRAGMATICA MOMENTA

BELLI PACISQVE

EXPENDVNTVR.

Esaiæ 39. v. 8.

IEHOVA, preCaMVr Vt sIt paX &
VerItas In DIebVs
nostrIs!

1641.

Auguſt. in Pſal. 84.

DUæ ſunt amicæ, Juſtitia & Pax: tu fortè unam vis, & alteram non facies, Nemo enim eſt, qui non velit Pacem, ſed non omnes volunt operari Juſtitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? Uno ore reſpondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Ama Juſtitiam, quia duæ amicæ ſunt, Juſtitia & Pax, ipſæ ſe oſculantur, ſi amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa Pax, nec veniet ad te: *Eſt autem præcipuum Juſtitiæ munus ſuum cuique tribuere.*

(***)

RELATIONIS Argumentum in capita sua numero literarum distinctum.

A. RElationis occasio, ex sensu publicæ calamitatis. Desideria Pacis. παῤῥησία & querimoniæ miserorum.

B. Dictionis lineamenta. Belli causæ ac remedia expendenda. Recta consilia neglecta calamitatem invitare, Corinthiorum, Athenienſium, Romanorum, exemplo comprobatur.

C. Causas belli semper latere, verisimiles esse Religionem & regionem, utramq; ad nobile Libertatis nomen derivari.

D. Religionis momenta in utramq; partem militare. Bona Ecclesiastica non infimæ bellorum causæ.

E. Regionis ſtatus expenditur, ex neceſſitate bellandi contra imminentes hoſtes. Spes Victoriæ: Majeſtas Imperij inter prima habenda.

F. Difficultas quæſtionis de habendo bello. Digreſſio ad remedia.

G. Diſcutiuntur cauſæ prædictæ. Religionem non eſſe cauſſam armorum legitimam demonſtratur.

H. Res Eccleſiæ non ſufficere in pretium belli.

I. Belli οἰκονομία. Spes Victoriæ: Diſciplina deperdita: Suppetiæ: Urgentiſſima Pacis neceſſitas.

K. Majeſtatem Imperij conſtare ſecuritate: Exiſtimationem Principis non pendere ex vulgi imprudentia.

L. Virtus & fortuna hoſtium conſideratur: Gallorum ſucceſſus & potentia.

M. Svecorum arma & ingenia; illorum per Europam trophæa.

N. Imminere à Turcis periculum: ἀβλεψία.

O. Ima-

O. Imago perpetuati ex voto belli: Conjectatio inde de desolatione Germaniæ.

P. Arma quietis caussa esse: in longum durare non posse, nisi ut mala fiant. Exempla Pacificationum.

Q. Posteritatis consideratio per bellorum decursus: Pietatis labes: Belluinum bellum esse, quod nullam rationem aut metam agnoscit.

R. Secura consilia oriri ex præteritorum temporum, cum nostris collatione. Meditatio de consilijs compositionis.

S. Ἀμνηστία. Restitutio in statum antequam arma cœpta proponitur. Execratio & desperatio belli.

T. ad Germanos.
V. ad Gallos.
X. ad Svecos.
Y. ad Christianos Principes omnes.

} παραίνεσις, qua studium Pacis & fraternæ dilectionis extollitur.

Z. Votum pro pace.

GERMANIA DEPLORATA,

SIVE

RELATIO,

QVA

PRAGMATICA BELLI PACISQUE MOMENTA EXPENDUNTUR.

A. NUNQVAM verba desunt dolori: suo ille sensu semper declamator venit, ejusq; lachrymæ sinceræ Eloquentiæ partes tenent. Eo calamitas publica in omnium ore est, quia omnibus incumbit, & dum suo quisq; damno miseriã intelligit, exin pericula interpretatur votaq; ad publica nuncupat commoda. Post tot annorum dira & novissima fata, humano, imò Christiano sanguine cruenta

per.

perpetuantur bella! nullis terminis stant arma; nullis limitibus arctantur mala. Igitur inclamare PRINCIPES, penes quos rerum summa est, communis ærumna urget. Omnes omnes succurrãt Imperantes, quia omnes queruntur obedientes. Si summi numinis vices in terris gerũt, afflictorum lamenta negligere, aut superbis excipere auribus non possunt. Enimverò habet nonnihil solàtij querimonia: habet miseram voluptatem, ipsa flendi libertas, sive quod in doloris cõmunionem attentos vocare, sive quod ipsi⁹ mali relatione, subsidia circũspicere videamur. Quæ autem ad omnium salutẽ spectant, omnium sermonibus, disputationibus, opinionib. æquum est pateãt: quin animis exacerbatis, de DEO & Rege licẽtius veritatem dicere, aut intimi⁹ mussitare nemo veretur. Qui verò experientia rerũ, vel literarum usu valẽt, dissertare ex linteis scriptorum monumentis solent, & ad præteriti tem-

poris imaginem conferre, quæ nos fata manent: compertum quippe vices rerum assidua exemplorum similitudine alternare.

B. Itaque memorare malorum causas, recta remedia sectari, viri boni & Christiani est. Cadant licet in irritum sincera consilia, & frustra jactentur apud pronos in spes ambitiosas; acrem tamen & pœnitentem memoriam relinquunt, quoties pericula & damna autoribus suis arrogantiam post res exprobrant. Sic Corinthij conditiones aspernantes à Corcyrensibus strati; sic Athenienses virium fiduciâ Lacedæmoniorum amicitiam superbè negligentes Græciæ calamitatẽ invexêre: Sic Pompejus Magnus toto fultus Senatu, ad Concordiã à J. Cæsare frustra invitatus, nomen simul cum Pop. Rom. libertate memoranda strage amisit. *Cuivis* autem *potest accidere, quod cuiquam potest.* ut *P. Syri* versus habet.

Cæterùm quo miſeros rapit unda belli? quæ tantæ calamitatis ſcatebra, ex qua Germania rupto veluti aggere rationis, ſqualore univerſim inundata fatiscit? Ut flumina varijs ambagibus ſerpentia cernimus, natales illorum ignoramus: ſic abolitam bellorum cauſam, ſolis cõjectationibus ſequimur, prima capita vix aſſequimur. Si tamen ex armorum & tot annorum decurſu arbitrari fas eſt, veræ aut veriſimiles bellorum cauſæ ſunt: *Religio* & *Regio*, quæ inter ſe ex temporũ ratione ſæpius cõmutatæ, utrinq; *Libertatis* prætextâ adornantur. Hæc argumenta, ut amnes, profundis ſe voraginibus inſinuant, in eundem Oceani alveum feſtinant, & ex ijsdem fontibus perpetuum meant.* C.

*Eccleſ. 1. v 7.

Religio gordius ille nodus eſt, ex quo terra cœlo impendet; nexus inter DEVM & homines; ſanctiſſimi humani pectoris bonũ; coagulum omnis Societatis & fundamentum Legislationis (νομοθεσίας) ut eſt apud Plu- D.

tarchum. Cùm verò ſua cuique Religio optima videatur, ut quæ plerique non ratione, ſed affectu dijudicata venit; eò quisque à ſuis ſacris alienos pertrahere vel tacitè optat, vel palàm adnititur. Hæc autem non eſt Ratio Status, ſed DEI, quæ neglecta non politica, ſed Diabolica dicenda eſt. Hæc animos acriùs percellit, odia concitat flagrantiſſima, & dum quisque ſummi Numinis cauſam pijs armis propugnare arbitratur, hoſtes non hominum, ſed DEI, pro adverſarijs præſumit. At cauſæ (ſive veræ ſive fictitiæ) momenta animos ad pugnam obfirmant, robur addunt & vel invitos ad arma ſolicitant. Nihil diſſimulandum: Religio communis norma eſt, ad quam rerum inſtituta exiguntur. Eadem verò conſideratio utrinque militat, ita magna vis eſt inolitæ opinionis, quæ ſæpè adverſis convellitur, ſpe tamen melioris fortunæ, aut rectæ patientiæ ſolatio renitente, nunquam

divellitur. Ex complexu porrò Pietatis, quæ ſvavis cum DEo conſociatio eſt, ſuccedit quoque (ut jactant plurimi) temporalis felicitas: Adeò Eccleſiaſtica bona; poſt Paſſavienſem transactionem ab Evangelicis poſſeſſa; rebus utplurimum pacatis, novam bellorum facem intulêre, quod illis acceſſionibus ſtrata ad Catholicum propoſitum videbatur via, ſi fas eſt grave negotium mitiſſimo notare verbo.

Ampliùs, urgens neceſſitatis telum nobis E. impendet. Hæret ad Germaniæ penetralia peregrinus hoſtis, Gallus & Svecus; illiſq; ſociati nonnulli Principes Imperij. Ultimis viribus itaq; enitendũ, ut hoſtes excedant Germaniam, poſt de pace ſi voluerint, agant. Orbis eſt rerum humanarum, brev belli alea mutabit; & inſigni clade (ut ante aliquot annos illa Nôrdlingenſis accidit) omne debellabimus periculũ. Quis quæſo Patriæ amans, cum armis, Imperij Majeſtatem projiciendam arbitrabitur? Non poteſt

Augustissimus IMPERATOR noster, rebus afflictis, ad ignominiosam pactionem condescendere & gloriam Nominis sui signatè in discrimen dare. Respiciet mitius fatum, modò ardua, virtutis incitamenta interpretemur, & Germanæ pristinæq; fortitudinis memores, periculi magnitudinẽ pro gloriæ mensura habeamus & Cõcordiâ propulsare velimus. Sic disputant, qui de fallacibus casuum interventibus superbas spes fovent.

F. At de plurimorũ nece, capitalis quæstio est, ubi probationes requiruntur plenæ & evidentes, ne DEVM summũ ad similitudinem Moloch adoremus. Sed ad imaginem redeo. Amnes inter ripas suas procedunt, & nativos fontium sequuntur ductus, nî per vias obices intercedant, aut à montiũ nivali fluxu robur trahant; tunc alveis suis elati, per insolita grassantur itinera, segetes, prata, pascua, squaloribus, arenis, sterilitate obducunt: haud secus removenda impedi-

Levit. 18. v. 21.

menta, ut luculentis superioris ævi vestigijs Germana securitas procedat.

Crudelis est pietas, quæ ad unam Religionem omnes adigere satagit, imò impietas est, si conscientias ferro aggreditur, supplicijs grassatur, & sacrorum rationes, inter munia civilis obedientiæ cogit. *Nos Christiani sumus*, inquit S. *Tertullianus, quorum lex non se vindicat ultore gladio,* quorũ characterismus est mutua Dilectio, peculiũ Patientia, ut ipsis etiam hostibus nostris benefaciendi præcepta habeamus. Næ, si qui pię opinionis affectu deerrant, illorum pœna esto doceri, non torqueri, frustra est, qui hastis & gladijs Numinis metum in hominum animis defigere laborat, doctore opus est, non carnifice. Nil arma in conscientias possunt, æquè ut irrito conatu scientias flãma & ferrum inculcaverit. *Pietas*, inquit S. *Augustinus monendo non minando induci debet.* Quid verò? nostra arma non comminando attolluntur, sed cædibus cruenta, la-

G.

tro-

trocinijs temerata, Atheiſmo ſtipata, absq; publica injuria ſuſtineri haud poſſunt. Profectò, verbum DEI noſtris non nititur ſubſidijs, neq; robur ejus eſt in brachio hominis. Oza qui Arcam fœderis inclinantẽ retinere voluit, irâ indignationis DOMINI illicò percuſſus cecidit. Judæi licet legem haberent, quæ ſupplicijs animadverteret in trãsgreſſores, nunquã tamẽ pœnis ſubdiderunt Saducæos, qui rejiciebant dogma reſurrectionis, veriſſimũ quidem, ſed in ea lege nõ niſi obſcurè traditum. In N. T. Imperatores barbari, exitiales, humani generis laniſtæ Chriſtianos mugire fecerunt in tauris æneis, valentiſſimo igne ſuccenſis, qui ad ſymphoniam beatarum Mentium evocabantur. Objiciebant veſpis melle delibutos, ſole flagrantiſſimo, puriſſimis apibus ipſi caſtiores. Premebant torcularibus, quorum beatiſſimus cruor vinum erat Angelorum. Verbo dicam, ſanguis Martyrum purpura fuit Eccleſiæ. Inſuper, *quos hæretici*

2. Reg. 6. v. 7.

tici verbis inducere non potuêre, vi, plagis, carceribus ad se pertrahere laborarunt, atque ita, inquit S. *Athanasius, hæresis, quàm non sit pia atque DEI cultrix manifestat.* Quid in Gallia Bartholomæa laniena, quid in Belgio Albana tyrannis, quid in Germania tot annorum flagrantissima patrârunt bella? fidem profectò nemini imperare potuerunt, sed fictiones alicubi, & purpuræ non DEI fecêre cultores. *DEVS* quippe *miseretur cui vult, & indurat quem vult.* Respiciamus superioris ævi documenta: à FERDINANDO I. usque ad FERDINANDUM II. sicq; per integrum ferè sæculum, diversæ religiones per quietem & pacem stetêre. Quid ni & in posterum fiat? *DEVS diversas religiones patitur, nos unam audemus imponere*, inquit *Cassiodorus.* *Exod. 33 v. 19.*

Arduum est populis, sed magis arduum animo imperare suo. Qui Patriæ, qui Posteritati consultum cogitat, publicis emolumentis privata omnia posthabeat opor- H.

ret. *Consilia callida & audacia, expectatione læta, tractatu dura, eventu tristia sunt,* inquit *Tacitus.* Quid quæso in pretium tantæ calamitatis sufficere potest? Quidquid voto petimus minus est. Quid sunt provinciæ, quàm solitudines tristes? Quid pagi, urbes, oppida, Cœnobia, quàm busta, informes ruinæ & receptacula ruinarum. Quæ periere perijsse putemus, ne omnes pereamus: dum enim servare volumus quod impensum est, malè impendimus quod addendum est.

I. Quo hactenus molimine, quanto impendio bellatum est? nihil profecimus, sed defecimus. quæ singuli passi sumus, publica utilitas minimè pensavit. Quot provinciarum damnis superioribus annis militem habuimus? Quantos exercitus duximus? Nihil profectum ad rerum summam. Pulsantur passim exhausta æraria, rarus ad legiones veteranus, miles investis, sqvali-

dus,

dus, lassa liberalitate & stipendijs impeditis, nullâ disciplinâ coërcitus, impiè crudeliterq; quidvis & impunè patrandi licentiæ svetus, omnis humani juxta & divini juris contemtor & conculcator, DEVM scelerum ultorem & vindicem metuit, adjutorem & servatorem sibi, per flagitiorum conscientiam sperare non potest. Et talibus defensoribus vtriusq; partis spes committuntur! Si Victoria prius consilio quàm manu elaboranda est, & bellum ratione, non fortunâ gerendum, unde ardua armorum præsidia expectemus, non liquet pensitanti. Ab ægro Imperij corpore, quæ munia exigenda erunt? quæ quæso vires ex publica impotentia cogendæ? Innexa est finitimis bellis Italia: Polonia & Ungaria domi quod metuant habent: Danus fœdus cum Svecis colit: Hispanus in Belgio, in Italia, in ipsa Hispania Indijsq;, (unde hactenus nervi & impendia armorum successêre, in posterum verò intercluſæ

creduntur, auriferæ rates) maximis bellis distentus, dominationis suæ magnitudine laborat. *Vtcunque* autem *fortuna arriserit, ijsdem artibus conservandum erit Imperium, quibus vindicabitur: Malus* enim *diuturnitatis custos metus est*, & nihil tam firmum, cui periculum non sit etiam ab invalido. Lex naturæ svadet brutis animantibus, ut se, ut conjugia, ut sobolem contra vim tueantur, ut vinculis sese qua possunt eximant: Quid non eodem jure homines prætẽdant? Libertas cum successu gaudet & robur cõsequitur, alijs imperio coërcitis valida enitendi documenta præbet. Hinc palàm est, Germanis non belli, sed Pacis necessitatem incumbere.

K. Cæterùm, utinam rerum nostrarum ratio in eum constaret modum, ut non tuta tantum, sed ingentia etiam & glorioſa consilia capessere liceat! At non anteponendum saluti decus. Prima curarum est, servare Imperium: Sequitur ea, quæ gloriam

& Majestatem tuetur. Hæc pervertenda haud sunt, & satius est remedia cogitare, quam novissima subire discrimina. Urbanitas ægrotum non decet; dum ægritudinem dissimulat, fallit Medicũ seq; frustrat, salutis expectatione: Malum verò cum invaluit, & si curare jucundiore viâ haud potest Medicus, contrarium eligit, & sæpè nec illis abstinet, quæ sine honoris præfatione nominari non debent. Enimverò Regum Principumq; existimatio, à plebeis suffragijs, & sequioris famæ susurro non pendet, neq; gloriæ dehonestamenta existimanda sunt, quæ vulgi imprudentia sugillat. Deus qui adorandâ sapientiâ totum hoc Universum adgubernat, omnibus & singulis placere non potest. Quid ejus in terris simulachra Principes præsumant? Christiana charitate consilia nitantur, & felix contumelia reputanda, cujus finis erit gloria & tranquillitas publica.

Gallus nobis hostis est, qui virtutis & L.

fortunæ parallela argumẽta hactenus commonſtravit: Rex potens & felix: Potens qui VIII exercitus, & ſub ſignis illorũ CXM militum terrâ mariq; connumerat; Felix, qui Briſacum Rheni præſidium, Auguſtam Taurinorum, Italiæ propugnaculum, Lotharingiam, Germaniæ liminium, armata occupavit manu. Potens & Felix, qui Confœderatis ſuis amicum ſe præbuit usque ad *aras*, ad *Arras* inquam Arrenſis comitatus Metropolin victrices *offerens* copias. Sic indirectè, bellum directũ à ſe amolitur, ita tamen ut de Pace convenire nunquam averſetur, quam primum Sereniſſimus Trevirorum Elector
„ dignitati ſuæ reſtitutus fuerit. Regna e-
„ nim etiam inter Victorias ſatis miſera ſunt,
„ & Laurea Principis non poteſt non ama-
„ reſcere in ore ſubditi.

M. Illuſtris eſt Gothorum gens ex fide Annalium; eóq; ut Hiſpani, Itali, Galli familiarum origines ad Gothici Nominis gloriam

extol-

extollere gestiant. Ex Gothis Sveci sunt; profectò nõ ridendi mormillones, (ut quõdam temerè jactabãtur,) sed quos Princeps Populus Romanus, post devictũ terrarum orbem cavere non potuit. Quales hodie vicina Sarmatia, Dania Moschus & ipsa veritas loquitur. Nequaquam à Majorum gloriâ degenerârunt: tot victorijs animosi, quasi nihil ad pugnam faceret numerus, si prælio vincuntur, bello insuperabiles videntur. Nisi enim testis temporũ Historia fallit, rarò pactionibus, nunquã verò occupatas provincias victi & fugati deseruêre. Quid verò? cõmunes belli casus recordantur, solidã pacem sub clypeo parare adlaborant, misera servitutis pacta adversantur.

Dura & infanda passi sumus, sed atrociora (si futura cogitatione præcipere licet,) imminent à Turcorum tyrannide. Dudum jam opportunitates temporis, quæ rebus nostris attritis affulgent aucupantur, nec vires, nec animus illis deest, quin N.

noſtris intercurſare inſidijs, (quod ne ſuccedat DEVM Ter. Max. veneramur,) velint & poſſint, & hoc facto, quæ ratio, quæ nos opes humanæ ſervare poſſe videntur. Secus qui ſentiunt & tempeſtatum Politicarum prognoſtica transmittunt, deinceps eventura, non cura, non proviſu complectuntur; poterunt fortè atroces incuriæ & ſocordiæ dependere pœnas, atq; ſolemne illud, Non putaram, cum pudore ingeminare. Sequitur res ſecundas Securitas, adverſas præcedit, dubias obruit: quin ſæpè evenit, ut qui famæ vera nuntianti fidem negarunt, credidêre mentienti.

O. Sed convertat ſe fortuna belli: inſigni clade multetur hoſtis: Depellatur ex viſceribus Imperij, eijciatur ex Bohemia, Sileſia, Miſnia &c. Quid Pomeraniæ iterum tempeſtatis incumbet? & hâc ut excedat maxima impendia, copiæ, apparatus, labores, requiruntur. At extorqueamus omnia invito, nihil ex ſuo amittet, quia noſtra ſunt

quæ

quæ tenet. Noſtra tuncvindicabimus, eaq; vaſtata, exhauſta, bellisq; ſqvalida. Hæc merces armorum, hoc tot annorum, tot laborum, tot curarum pretium, ſi eò res noſtræ devectæ fuerint, quòd (in blandas utcunq; ſpes proni ſimus,) præſtolari vix poſſumus. At confecto cum Svecis bello, ſanguis hoſtium Cadmæam ſementem ſpirabit. Recrudeſcet ex avecta præda & manubijs noſtris quod coaluit malum, & nova mox armorũ moles rebus depreſſis incumbet. Hinc contra ſempiternũ hoſtem, perpetuo milite opus erit, qui exhauſtis & expilatis provincijs ſuſtineri vix poterit. Interim hoſtis reſtabit Gallus, & ſemel dicam poſt tot nõ vulnera, ſed funera reſtabit bellum, ſimul malæ artes & publica calamitas. Ut in aëre, ſic in terra bellorum tempeſtates bacchantur, ſed per intervalla & ad tempus: quod ſi verò

æterna ſemper odia mortales agant,
altus ſepultas obruet gentes cinis,

nihil relinquent bella!

P. Detestanda arma, quæ sempiternum sævire intendunt, & novarum partium semina in progressu spargunt. Nullæ lites tam justæ sunt, quin injustæ, si æternæ fiant. Aliter quàm ferro, quam flamma transigendum, & quomodocunq; conventum, armis præstabit, quia humani sangvinis fontes obstruentur. Tandem furori temporum & necessitatibus sæculi nostri cedendum arbitrabitur, qui exempli documenta in illustri posita monumento æstimat. Ebræorum nomen & Deo firmata virtus, vicinis gentibus formidini extitit, pacem tamen, ab illis quos prius vicerant in extremis coëmere casibus haud indecorum existimavêre. Roma terrarum Domina fastis damnata nomina, Cannas & Alliam inter potentiæ incrementa notavit, pòst Honorij Imperatoris tempore his conditionibus pacatum fuit Jmperium, ut peregrini Gothi & Vandali insiderent Italiæ, occuparent

3. Reg. 15.
4. Reg. 12.
3. Reg. 20.

Hispa-

Hiſpaniam, Africámq; invaderent, atq; ſic regna ex Romanorum republ. conderent, nil infra gloriam ducentes, quod Status neceſſitudo commendabat. Patrum noſtrorum memoria afflixêre Turcorum arma Ponnoniam, trepidabat Auſtria, metuebat Moravia, imminebat Germaniæ deſolatio: redimenda fuit quies publica muneribus, (quæ barbari tributa interpretantur) & opiniore Ungariæ parte, quam adhuc poſſidet, (neq; enim tantę ærumnę veſtigia tempus extrivit:) licet tunc in metu Germania verſabatur, ut nunc in damno. Quod accidit Patribus, ſignum eſto filijs: ex ijs quæ olim rectè conſulta, rectè ſuſcepta ſunt, decernendi & conſulendi regula & methodus enaſcitur, tenues ruinarum noſtrarum reliquiæ bellorum incendio ſubtrahendæ erunt, ne ultimum fortunæ noſtræ codicillum (ut à Sibylla oblatos Tarquinio libros,) duplicato pretio redimere cogamur.

Quod ſi nobis ipſi adeo infenſi ſumus, ut Q.

post tot funesta & fervida consilia, mitiora allubescere non possint, filios nostros, amantissima matrimonij pignora & inclytæ Posteritatis spes cogitabimus. Glisscentibus armorum dissidijs, honesti & recti disciplina penitus exolevit; explosa virtute, vitia increbuêre, nec in veniam modò, sed in laudem venerunt. Ex castris malè castigati mores in oppida & civitates horrendas colonias deduxere, & inter hæc mala adolescens juventus, non potest nõ statim, tacitâ quadam vi & viâ imbui: dum enim recti rationem ignorat, pravis exemplis insuescat necesse est. Quæ solitudo ac vastitas Ecclesijs, Scholis & Academijs invecta est? Quod si inde ad virtutem non subnascitur animorum cultura, in uberem vitiorum segetem luxuriabit. Constat disciplinâ virtus, Pietas moribus: per armorum rabiem utriusque præsidia expugnantur, indeque Nepotes nostri irreparabile damnum adeant, oportet. Igitur non

REIPUBLICÆ modò intereſt, bellum quibuscunque etiam poſthabere conditionibus, verùm etiam PIETATIS, quæ inſtar centri eſſe debet, quò omnes actionum noſtrarum lineæ decurrant. *Salus æterna ſumma Chriſtianorum Lex eſto*, hâc ſubversâ, in beluas mutabuntur homines, & omnis humanitatis ſenſu vacui, ferarum modo inter ſeſe decertare & furere nunquam deſiſtent.

Qui hominem pingere cogitat, non ab effigie affectat ſimilitudinem, ſed à viro vel femina: ſic qui conſilia Reipub. adaptare laborat, non ex Græcorum, vel Romanorum priſca hiſtoria conſultet, ſed veritatis lucem ex Germanorum rebus geſtis intueatur. Hinc diſpiciendum, an non improba & dediſcenda affectuum noſtrorum nomenclatura fallat, ut hoſtes, perduelles, & (cõplemento omnium accuſationũ, ut vocat Hiſtoricus,) Majeſtatis reos extirpãdos credamus, qui nec tales fuêre, nec tales ut ſint

cogitârunt unqvam, & an propiora exempla sub CAROLO V, & FERDINANDO I. Romanorum Imperat. æternùm glorioſiſſimis, cædem quæ nunc aguntur cauſæ ſatis juſtæ fuerint exiſtimatæ, vel eluendi per bella inteſtina & Chriſtianum ſanguinem, quæ tunc prætexebantur & nunc præferuntur delicta. Quæ DEVS immiſit, non in ſævitiæ, ſed in pietatis & clementiæ occaſiones trahebantur, ne cum malis boni, cum ſontibus innocentes plecterentur. Interim malitioſi Juſtitiæ divini Numinis permittebantur, ut etiam injuſtitiæ ſuſpicione vacarent magnanimi Heroës, affirmantes: *nullum Imperium eſſe tutum, niſi benevolentiâ munitum.*

S. His & ſimilibus meditamentis poterit Princeps DEVM metuens parſimoniam humani ſangvinis ſibi facilè perſvadere, generosâ clementiâ omnem injuriarum abolere memoriam, odia beneficijs ſepelire, veniâ & oblivionem ſancire, ſicq; ſalubre Amneſtiæ

reme-

remedium capeſſere. Concuſſum & labentem Imperij ſtatum, ad priorem temporum habitum revocare, glorioſum perquam decorum & Chriſtianum erit. Ad priorum temporum habitum inqvam, eo ſcil. cum nondum cœpta arma, Majeſtas Imperij tuta, fida Pax & Concordia illibata vigebat: Si ſecus, reconciliationis ſimulachra præbentur, & teterrimi belli ſcintillæ relinquuntur; metus eſt, ne in abdito vires colligant, atque datâ erumpendi viâ in vaſtum incendiorum turbinem denuò evolent, ſicq; in furorem abeat ſimplicis fidei læſa ſinceritas. Quia tandem reddere non poſſumus, quæ belli injuria periêre; ſervemus quæ Pacis beneficio, ſi non ampliora, magis quieta & magis ſecura eſſe poſſunt. Miſeri ſumus, & omnium miſerrimi, ſi propter Pacem bellum non gerimus! Recedant ad littora priſca inimica terris flumina, vigeant cõmercia latrocinijs diſtracta, colantur rura cruore ad fertilitatem

imbu-

imbuta, navigentur maria classibus interturbata. Pestis contagiosa quædam lues est, quæ mox ubi funestam, quâ maxime pollet, putredinem cordis ipsius adytis insinuârit, è vestigio urbes civibus, ærarium pecuniâ, populos commercio privat, ita tumulos cadaveribus, Rempub. luctu obruit. Bellum pestis est, contagio nocet, & solâ evitari fugâ potest. Quid igitur non destruimus militiæ & malitiæ castra, proterimus erecta levitatis vexilla, & profligamus pestilentem vitiorũ exercitum? Quid, exitium salute, mors vita, & spes desperatione posthabenda videtur?

T, Sereniſſimi PRINCIPES, Pedibus jam vestris GERMANIA DEPLORATA tanquã insons victima advoluta, Mosis verba quæ Israëlitis certantibus (quamvis utriq; causa haud justa contigerit) succlamavit, supplici prece ingeminat:

Fratres estis, Germani estis, cur certatis?

Nulla natura in semetipsam vertit cornua,

sibi amica quælibet, & studiosa sui. At homo homini lupus, Germanus, Germano. Quantũ nefas! mortales immortalia exercere odia! Fratres in arena, tanquam in mutuam pernicie auctorati essent, digladiari!

Respiciat IMPERATOR *Augustum Germanæ potentiæ fastigium, & velit jubeat, egregios bellorum fines parcendo & ignoscendo stare, eadem omnes æquitate indulgentius complecti, temporis injurias abolere & excelsum* FERDINANDI *Nomen, in* FRIDENANDI *appellationem, absq; magnitudinis diminutione, simulq; Deploratam* GERMANIAM *in* LIBERATAM *demutare. Satius erit unum servare civem, quam mille hostes neci permittere.*

Vos Galli fratres estis, Germani estis, Franco rũ origine sati, hodieq; Normannorũ gente feroces, *Cur certatis?* Quot Galli autem sub vestris militant signis? ductu atq; imperio Germani Germanos oppugnant. Non credite ridenti fortunæ, fallit dum blanditur; V.

vitrea audit, frangitur, dum splendet. Optimum est quod tutissimum, tutissimum autem non pugnare.

Respiciat Rex Galliarum Christianissimus, *qui novam hanc laudibus suis lauream addet, si populis* Christianis *contra armorum injurias, & fatalem temporum difficultatem* Justam Pacem *impertiri non dedignabitur.*

X. Vos autem *Sveones Germani estis*, si natales vestros, si omnis historiæ veritatem agnoscitis; *Germani estis, cur certatis?* tandem fessi bellorum laboribus, & satiati virtute vestra, mitiora intendite consilia lubentes. Quidquid concedetur, id dabitur cõmuni origini, & Germanorũ Majoribus, ex quib. nî ortum duxissetis sangvinẽ, tantum arma vestra per Germaniã haud potuissent. De inani pompa, titulis, & formulis, moras & rixas serere ambitiosum, imò intempestivum & damnosum est, pium verò & generosum bellorũ faces, & odiũ extinguere ex ambigua causa prognatum.

Respi-

Respiciat Serenissima SVECORUM REGINA, *& reddat nobis* serenitatem, *quam genus & ætas ejus promittere videtur. Cohibeat gentis suæ ingeneratam fortitudinem, & tot heroës fortuitis eripiat casibus.*

Denique *Germani, Galli, Sveci, fratres estis,* CHRISTIANI *estis, vnum DEVM Patrem colitis, qui hoc dedit vobis præceptum, vt diligatis vos invicem: Qui beatos dixit facientes Pacem, & detestatur discordias inter fratres, cur certatis? Næ, testatissima Salvatoris est regula: omne Regnum in se divisum desolabitur, & domus super domum cadet. Delectamini igitur in multitudine Patis & salutate vos invicem verbis pacificis, & fiet pax in virtute vestra; semitæ vestræ erunt pacificæ & abundantia in turribus vestris.*

Tu DEVS Pacis & dilectionis da consentire, da conspirare ad commune bonum, & post tot Davidis prælia prælia, tranquilla Salomonis tempora retribuet propitius!

Y.

Iudic. 15. v. 13. Matth. 5. v. 9. Prov. 6. v. 19. Luc. 11. v. 17. Psal. 36. v. 11. Iudic. 18. v. 15. Prover. 3. v. 17. Ps. 121. v. 7.

Z.

ACCLAMATIO.

PAx humanæ maxima vitæ
Spes, Pax trepidis anchora rebus,
Quò Diva moves, miserosque fugis?
Quæ, Dea, quæ nam tanta, attonitos
In sua vecors viscera cives
Vertit Erinnys? Non hoc Pietas
Cœlumque jubet: Non religio
Prognata polo: non ipse DEVS.
Nec certa deest, prodita binis
Lex in tabulis, nec testantis
Firmata DEI morte voluntas,
Quam mens humilis non alta capit.
Quid solliciti quærimus ultra?
Frustra miseri nitimur orbem!